



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Clero Et Popvlo Verisien.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

vari, præceptum apostolicum taliter impleturi quod pro defectu vestro non cogatur ad nos ulterius replicare querelam. Testes &c. Nullis litteris &c. Quod si non omnes &c. tu, frater &c. Datum Laterani IX. Kal. April. anno decimo.

CLERO ET POPULO VERISIEN.

Epist. 17.  
Vt obedientiam & reverentiam impendant Magistro Gasino in Archiepiscopum Variensis.

ET apostolica sedis auctoritas & Ecclesie Constantinopolitane necessitas nos induxit ut Magistrum Guarin, tunc Electum, nunc autem Archiepiscopum vestrum, ad nostram præsentiam accedentem ordinare in Diaconum & Presbyterum, & consecrare in Pontificem curarem, Pallium, sibi videlicet pontificalis officij plenitudinem, concedendo. Sic enim Romanus Pontifex vocavit alios in partem sollicitudinis ut sibi retinuerit plenitudinem potestatis. Unde canonica tradit auctoritas quod undecunque venientes ad ipsum, ruitionem & consecrationem accipiant ab eodem; quoniam qui utitur jure suo, non intelligitur aliis injuriam irrogare. Idem verò, licet à venerabili fratre nostro . . . Patriarcha Constantinopolitano fuerit confirmatus, non tamen ab eo poterat consecrari, pro eo quod Coepiscopos non habeat unde oportuit ipsum . . . Athenien. & . . . Theban. Electos pro consecrationis munere obtinendo in Syriam destinare. Ipsum igitur iis ex causis ordinatum, consecratum, & palliatum à nobis cum gratiæ nostræ favore remittimus, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus ei reverentiam & obedientiam impendatis tam debitam quam devotam. Dat. Laterani III. Kal. April. anno decimo.

In eundem modum Patriarchæ Constantinopolitano. Datum ut in alia.

In eundem modum carissimo in Christo filio Henrico Imperatori Constantinopolitano Illustri. Datum ut in alia.

G. VERISIENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 36.  
Doceritur excommunicationis & suspensionis sententias latas sine rationabili causa non teneri & sententiam que post appellacionem contigerit jaculari non esse servandam tanquam irritam.

CVm per manus nostras ordinatus fueris in Diaconum & Presbyterum, & in Episcopum consecratus, ut tam nostro quam tuo deferamus honori, auctoritate præsentium inhibemus ne quis in te sine manifesta & rationabili causa suspensionis vel excommunicationis sententiam promulgare præsumat, semperque ammonitio canonica præmittatur, nisi fortè talis esset excessus qui ordinem judicarij exigeret non servandum. Si verò te præsenferis aggravari, Tom. II.

liberè tibi liceat sedem apostolicam appellare, ut imminens tibi gravamen evites. Et si post appellationem hujusmodi quisquam in te suspensionis vel excommunicationis sententiam præsumperit jaculari, nos eam decernimus non servandam, tanquam irritam & inanem. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis, concessionis, & constitutionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alijs.

E I D E M.

CVm Constantinopolitanum Imperium nondum sit adeo solidatum quin adhuc ex magna parte fluctuet status ejus, indemnitati tuæ paterna volumus in posterum sollicitudine præcavere, ut quicquid ex futuris eventibus extra civitatem Constantinopolitanam contingat, infra ipsam speciale refugium habeas, ad quod exigente necessitate recurras. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis postulationibus grato concurrentes assensu, concedimus ut beneficia, quæ in prænominata civitate, antequam ad onus pastoralis officij fuisses assumptus, canonicè fueras affectus, cum omnimoda integritate retineas, donec nobis & successoribus nostris visum fuerit expedire. Datum ut supra.

Epist. 37.  
Indulgetur ut beneficia, quæ in ipsa civitate antequam esset promotus obtinebat, possit retinere.

VNIVERSIS CHRISTI FIDELIBVS  
Cruce signatis in Romanie partibus  
constitutis.

CVm ad apostolicæ commonitionis Capices, relictis patriis laribus, & bonis proprijs pro reverentia divini nominis vilipensis, ad partes orientales vos duxeritis transferendos, ut recuperationi terræ sanctæ fortius insistatis, inefficax ad hoc virtus existit humana, nec quicquam per se potest efficere, nisi desuper id sibi fuerit attributum. propter quod ad auctorem rerum omnium in humilitatis spiritu & in anima contrita totis est vobis affectibus recurrendum, ipsum submissis precibus implorantes, ut iter vestrum ad finem dirigat exoptatum, & per præsentem laborem fructus vobis præparetur æternus. Quia verò de vobis paterno affectu curam gerimus diligentem, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatinus cum in voluntate divina cuncta sint posita, stabiles & fortes in creatoris vestri obsequio persistatis, totam spem vestram proiciat.

Epist. 18.  
Suadetur ut contra paganos per fidos terribiles & fortes in creatoris nostri obsequio assistant.